



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatvs De Censvris Romano Pontifici Reservatis**

**Ugolinus, Bartholomaeus**

**Venetijs, 1609**

Vers. Et diuersis etiam exquisitis modis exigunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](#)

tecedentibus regulis positi. Sed de hac itidē regula tatis, ad quin tam veniamus.

In excommunicationem hanc 3 etiam incidit, † qui aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis onera prædicta imponit, ob uerba illa. Et aliorū beneficiorum Ecclesiasticorum bonis.

Hæc autem beneficia Ecclesiastica, præter Ecclesias, & monasteria, sunt altaria, & capellæ, quæ sunt in Ecclesiis, necnon præbendæ, quæ assignantur, & canonicis, & mansionariis, nam hæc neque Ecclesiæ, neque monasteria sunt, & ob id Bulla speciatim eorum mentionem facit. Hæc autem excommunicatio, quod eisdē modis declaratur, quibus superior, ob eam rem ad postremam regulam transeamus.

In excommunicationem hanc 4 quoque incident, † qui fructibus redditibus, & prouentibus Ecclesiæ, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, collectas, decimas, taleas, & onera huiusmodi imponunt, ut habeatur in uersic. Illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus. Quare qui imponit, ut tantum pecunia detur in corbem frumenti, uel unius. Item qui quotam, in poenam hanc incidet. Et hæc excommunicatio, ut superiores declaratur, iam ergo ad alia transeamus.

Vers. Et diuersis etiam exquisitis modis exigunt.

## S V M M A.

- 1 Exigens prædicta onera a personis Ecclesiasticis in excommunicationem incidit, que excommunicatio, quoisque pateat, declaratur.
- 2 Personis que onera imponantur.  
Item
- 3 Bonis, &
- 4 Fructibus
- 5 Exigentes a personis Ecclesiasticis uectigalia huiusmodi pro rebus, quas negotiandi causa deferunt, in excommunicationem non incident.
- 6 Fures, & latrones rapientes bona Ecclesiastica in excommunicationem non incident.
- 7 Capientes Ecclesiasticas personas, & pro eorum redempzione pretium uolentes, in poenam huius Capitis non incident.
- 8 Exigentes a personis Ecclesiasticis onera non ipsis imposta, sed laicis, in excommunicationem hanc non incident.
- 9 Pedagium, & uectigal exigens, uel spōte accipiens publicanus ab Ecclesiasticis personis in excommunicationem non incidit, ubi Ecclesiasticis personis impositum non est per statutum, decreumve aliud.

**I**N prima parte huius Capitis excōicauit Bulla imponentes onera personis ecclesiasticis, eorumque bonis, necnon bonis

Bb 3 fru

fructibusve Ecclesiasticorum beneficiorum, & Ecclesiarum. Hic autem excommunicat ea onera imposta exigentes. Quare & hic regulam ponamus.

In excommunicationem hanc ergo incidit, † qui prædicta onera exigit, ut habetur in proposito vers.

Hæc autem excommunicatio afficit, quacunque ratione exigat, ob uerba illa Diuersis exquisitis modis. Et quoniam onera hæc imponuntur aut personis, aut bonis Ecclesiasticis, Ecclesiarum personarum ve, aut fructibus eorum bonorum, ut vidimus, & varia onera tam personis, quam rebus imponi solent, ob eam rem quænam sint explicemus.

2 Personis igitur † onera hæc imponi solent pedagia, quæ dantur pro persona transitu per aliqua loca, ite guidagia, quo quis tutus per aliqua loca eat, ut sensit. Glos. in capit. super quibusdam. §. præterea. in verb. Pedagia. de uerbor. signifi. & ut nos declarauimus in Cap. 5. huius Bullæ, numer. 1. sollet quoque imponi Capitatio, de qua agitur in capit. de capitiat. libro 11.

3 Bonis vero † imponi solent tales, Collectæ, & huiusmodi, de quibus in hoc Capite in initio.

4 Fructibus demum † decimæ & vectigalia, quæ vectigalia soluntur, uel quo ipsos ex loco aliquo quis exportet, vel per aliquem lo-

cum cum ipsis træseat, vel quo ipsos uendat, ut habetur in l. inter publica. ff. de verb. sign. Item portoria, quæ dantur in eisdem casibus, ubi per mare deferuntur, ut nos declarauimus in eo. cap. 5. in principio. Quocunque modo igitur, & ob quacunque causam hæc exigantur, uel pro personis pedagia, guidagia ve, vel pro rebus, uel pro bonis taleæ, vel collectæ, uel pro fructibus decimæ, vectigalia, portoria. Et ad summam, ob quamcunque causam exactio hæc fiat, & quocunque nomine exacta nominentur, exigentes in pœnam hanc incident, hoc enim est, quod voluit Bulla per ea uerba, Diuersis etiam exquisitis modis exigunt.

Postremo excommunicatio hæc afficit in omnibus casibus in quibus & superiores excommunicationes.

Excipiuntur tamen primo, qui hæc exigunt id probabiliter ignorantantes, cuiusmodi esse possunt famuli a dominis hisce exactiōib. propositi. arg. c. apostolicæ de cle. excomm. min. & c. fin. de constit. lib. 6.

5 Item, ubi exigunt † pro rebus quidem Ecclesiasticarum personarum, sed quas negociandi causa deferunt, nam tunc id possunt, ut habetur in Clement. præsenti, & ibi Glos. & DD. de cens. ubi et habetur iuriurando deferentis standum esse, si obiciatur non ne gociationis cœla deferri, vide ibi,

## Pontifici reseruatis.

- ibì, & an in suis rebus etiam alienandis locum habeat, & quis datur negotiari.
- 6 Tertio excipiuntur, † qui hæc non quasi debita exigunt, sed ut futes, & latrones capiunt. † Quare & latrones capientes clericos, & pto eorum redemptione taleas imponentes, quod superioribus annis exules Romandiæ factabant, in pœnam huius capitii nō incidebant, sicut nec etiam imponentes pro bonis, ne comburantur, quod & ijdem exules sepius fecerunt, non enim quod hoc de iure possent, id sibi usurpabant, sed quod nō facile ipsis resisti poterat.
- 8 Quarto excipiuntur, † qui exigunt onera hæc aliis, & non Ecclesiasticis personis imposta, nā duo requiruntur, quo in excommunicationem hanc exigentes incidant, & vt Ecclesiasticis personis imposta sint, & imposta exigantur; secus ergo si non imposta exigantur, atque sic dixit Martinus Alfonsi de Viualdi in Candalabro par. 2. in Explanacione Bullæ Cœnæ Domini, casu 18. numero 117. † Quare, si custodes Pótis, portus, fluminis & pedagium, gabellam ve, aut alia onera petant ab Ecclesiasticis transiuntibus, uel sponte accipiant, non incidet in hanc excommunicationem, nisi Ecclesiasticis personis sint imposta, nam Bulla requirit, ut sint imposta, secundo ut petatur, uel a voluntarie dantibus accipiant.

## Pars Secunda.

391

tur, atque sic dixit Alfonsi ibidem quod est notandum pro illis custodibus. Incidunt tamen in excommunicationem capitu. quamquam de cens. libro sexto. si personæ singulares sint, si uniuersitas interdicto subiicitur, ut ibi habetur.

Postremo excipiuntur casus di & i in aliis regulis. Sed de hoc sat, ad alia transeamus.

Versi Aut sic imposita etiam a sponte dantibus, & concedentibus recipiunt.

### S V M M A.

I Accipientes ab Ecclesiasticis personis etiam sponte dantibus pedagia, & re-ctigalia in excommunicationem incidunt, que excommunicatio, quousque patet, declaratur.

**I**N hac parte excommunicantur, † qui prædicta onera imposta etiam a sponte dantibus, & concedentibus percipiunt, ut habetur in uersi. proposito.

Quæ excommunicatio summo consilio lata est, nam sunt personæ Ecclesiasticæ sepius, quæ lites, ac iurgia fugiunt, & ob id eligunt potius aliquid prædictis præstare, quam ad iudices cōfugere, id qd & præsertim contingit, dum per loca aliqua cum rebus transeunt,

B b 4 nam